...lares

Wresnani Bartholomaei: In nuptias D. Stanislai Comitis in Wisnia Lubomierski et Sophiae Ducissae ab Ostrog Carmen

IN NVPTIAS

ILLVSTRIS ET MAGNIFICI DOMINI
DOMINI STANISLAI COMITIS
IN VISNIC LVBOMIERSKI, CAPITANEI
SANDECEN: SCEPVSIEN. &c. &c.
ET
ILLVSTRIS SOPHIÆ DVCISSÆ AB OSTROG,
ALEXANDRI DVCIS OSTROGIAE, OLIM
PALATINI VOLHINIAE, &c. FILIAE:

CARMEN

Iisdem ſponſis,
AC
ILLVSTRISS: DVCIBVS AB OSTROG,
IANVSSIO CASTELLANO
CRACOVIEN: &c. &c.
CONSTANTINO & IANVSSIO
nepotibus illius, Sponſæ Germanis:
ILLVSTRI ET MAGNIFICO D.
DOMINO SEBASTIANO
COMITI IN VISNIC LVBOMIERSKI,
Caſtell: Voinicen: Capitan: Sendomirien:
Dobcicien: &c. &c. Patri ſponſi:
Cæteriſq; Hoſpitibus
dicatum

A M. BARTHOLOMAEO WRESNANO. IV. *Idus Febr.*
Anno Domini, M. DC. XIII.
CRACOVIAE, In Officina Baſilii Skalski.

IN ARMA COMITVM IN VISNIC LVBOMIERSCIORVM.



VErtice fert diadema tubas, atque ora leonis:
 Per ſpacium fluuius labitur vndi fragus.
Regali quidnam diademate clarius extat?
 Quam leo, quæ vaſto fortior orbe fera?
O quantum reſonat tuba ductilis aëre leui!
 Hæc Lubomierſciàdum ſplendida ſigna domus.
Quid dominis illis eſt clarius orbe Polono?
 Quæ domus exurgit fortior ære, manu?
Iuſtitia hîc, & amor patriæ, hîc prudentia regnat:
 Hîc morum grauitas relligioq́ Dei.
Hîc animus clemens magnis Hercibus aptus.
 Ergo tubæ merito tam bona facta canunt.

Ad

Ad Sponſum.

Sol tibi ſplendidior niueis STANISLAE currit
Per cælum radiis, ſydera celſa fauent.
Quid mirum, faueant hominum ſi pectora terris:
Quis non virtutes diligat atque colat?
Quid magis arridet cælo, quàm fulgida virtus?
Neſcius eſt finem tangere cardo poli.
Dat virtus immortalem ſine funere vitam;
Sic virtus cælo tetrea corda iugat.
Iam cælo æquatur tellus, LVBOMIERSCIA proles
Exulta; virtus iam tua dona capit.
Surgis ad immenſum ſoboles LVBOMIERSCIA cælum
Viuis in æternum, cum tibi ſponſa datur.
Sponſa DVCISSA datur. Quis tantas iungere tædas
Aggreſſus? Virtus vincere cuncta poteſt.

Ad Sponſi Patrem.

Maxime WOINICKI *pectus tibi maxima rumpant*
Gaudia, quòd nato ſponſa DVCISSA *datur.*
Iam gelidum tremulis membris depelle timorem,
Nunc tua crede mihi ſurget ad aſtra domus.
Iungitur en Magnis meliùs LVBOMIERSCIA *proles*
Principibus duplicis fædere connubii.
Viue beate ſenex, Ducibus coniunctus ab OSTROG,
Quæ fuerant binæ, nunc erit vna domus.

IN ARMA
ILLVSTRISS: DVCVM OSTROGIÆ.



ANcora cum sacra cruce, Phœbe, Srella coruscans
Binus eques, spoliis aucta sagitta suis:
Ostrogię meritò decorant ea stemmata gentem;
Virtutum radiis quòd micat illa Domus.
Hîc est relligio, pietas, prudentia rerum,
Magnorum hîc videas fortia corda Ducûm.
Iustior hîc animus generoso pectore viuit,
Hîc amor in patriam, larga vigetque manus,
Quisquis es, arma time; quę talia lumina iactant.
Nunc lux, nunc ferrum barbara colla domat!

AD CONSTANTINVM ET IANVSSIVM INCLYTOS OSTROGIÆ PRINCIPES FRATRES SPONSAE.

Gemmæ ſplendidulæ domus ab OSTROG
Quæ claram vehitis ſub aſtra gentem
Vos Craci vrbe manens Camoena noſtra
Dignis carminibus tacere non vult:
Nam veſter genitor viros amauit
E caſtris Academiæ Polonæ.
Et vos magnanimi Duces, amicam
Fauſtè qui teritis viam parentis
Ecquid non faciatis? Alma [illegible] Mine
Caſtæ nu[illegible] pede caſtra peruolatis.
Vobis ſponte dico Poëta luſus
Nympham concelebrans iocis venuſtam
Veſtram ſanguine nobili ſororem
Hos vt par capitote fronte lætâ:
Magnos frons hilaris Duces coronat.
Florentes iuuenes vigete multis
Seclis, & patrios Lares iuuate
Gemmæ ſplendidulæ domus ab OSTROG,
Quæ claram vehitis ſub aſtra gentem.

Ad

In Arma

ILLVSTRIS ET MAGNIF: ANNÆ COMITIS *in Viſnic, &c. ex gente Braniciorum ſurculi gemmantis, Matris ſponsi.*



Ingens Branicios Gryphs roſtro atque vnguibus aureis
    Exornat, priſcę nobilitatis honor
Virtutum rutilo gentem ſplendore Polonam
    Branicii auxerunt tempus in omne viri.
Quantis ad cælos ſua vectant nomina factis?
    Reges nouerunt, patria chara, Deus.

ALIVD.

Gryphes amant aurum, foſſum ſeruantq́; metallum:
    Non ſecus hanc gentem Sarmata clarus amat.
Sarmata Branicios amat, illis iungere multum
    Se cupit, ac domui conſociare pię.
Sanguine quas gentes ſtirps non Branicia nectit?
    Magnos illa viros vincit, & illa Duces.

AD

AD ILLVSTR: ET MAGNIF: D. Dominum Sieniavvski.

MAgnę Sarmatię ſplendida gloria
Sieniavì, patrię ſubſidium pię:
Quis tę dulciſono carmine non canat?
Tu florens proauis, moribus & bonis,
Tu virtute potens hoſtibus efferis
Obiectare ſoles pro patriâ caput,
COSTCARVM generis tu comes intimus,
Tu fortis Ducibus iunctus es inclytis.
I felix properis greſsibus, & nouas
Præſenti facie coniuge cnm tuâ
Tædas condecora: gratus ades nimis
Magnę Sarmatię ſplendida gloria
SIENIAWI, patrię ſubſidium pię.

Ad Hoſpites.

Non ita ſplendeſcunt cæleſti vertice ſtellę:
Vt vos Heròés lumina Sarmatię.
Felix aula Ducum, quouis memorabilis æuo,
Tot, tantiſq; ſimul condecorata viris.
Hoſpitibus vobis mea dicit Muſa ſalutem,
Atque dicat verſus Muſa iocoſa meos.
Ergo omnes vati frontem exhilarate ſerenam:
Promere blandiloquum nunc decet ore iocum.

CALCAR VIÆ.

I Pede felici noue sponse, tuamque reuise
Sponsam, sunt cordi tædia longa suo.
Castus amor, castæ connectit vincula mentis
Aurea, quæ posit rumpere nulla manus:
Quid Thesea Stygij nigras detrusit ad vndas?
Quid Piladem immeritam iussit adire necem?
Quid iaculum Aemilii vitam finiuit amaram?
Ignifer arcta viris vincula nectit amor.
I pede felici noue sponse, tuamque reuise
Sponsam, sunt cordi tædia longa suo.
Hyphias ardentes sese coniecit in ignes,
Portia casta viri sponte secuta necem.
It comes ad bellum fido Hypsicratea marito:
Fœmineo cordi vincula nectit amor.
I pede felici noue sponse, tuamque reuise
Sponsam, sunt cordi tædia longa suo.
Oceani Titan liquidis cum mergitur vndis,
Et nox fusca alis corpora cuncta tegit.
Sponsa nouella cupit venientem cernere sponsum:
Heu flammis vrit pectora castus amor.
I pede felici noue sponse, tuamque reuise
Sponsam, sunt cordi tædia longa suo.
Candida luna polo bigis decurrit aperto
Et somno dulci corpora fessa leuat.
Sponsa tenella nequit iucundum carpere somnum,
Exoptat sponsum cernere sponsa suum.
I pede felici noue sponse, tuamque reuise
Sponsam, sunt cordi tædia longa suo.
Lucifer exoritur, cælo nitet ore rubenti,
Auricomi monstrat lumine solis equos.

Omnia tunc pratis rident, tunc frigida rorem
  Accipit in gremium ac semina fundit humus:
At sola haud ridet tenero sub pectore versans
  Curas, absque modo sponsa nouella graues.
I pede felici noue sponse, tuamq; reuise
  Sponsam, sunt cordi tædia longa suo.
Phœbus equos agitat niuei per culmina cæli
  Suauem telluri lætitiamque refert.
Coecas depellit tenebras, lumenque coruscum
  Diffundit cupidis vndique terrigenis
Turbida mens auidæ non sentit gaudia sponsæ,
  Expectat sponsum sponsa nouella suum.
I pede felici noue sponse, tuamque reuise
  Sponsam, sunt cordi tædia longa suo.
Vt gemit aëria sine sponso turtur ab vlmo,
  Impatiensque moræ saucia corda gerit,
Ast vbi se recipit nidi sub culmina sponsus,
  Sensibus internis gaudia mille capit.
Haud aliter mæret tua sponsa marite; sed omnem
  Tristitiam ponet te veniente viro.
I pede felici noue sponse, tuamque reuise
  Sponsam, sunt cordi tædia longa suo:
Bellula Nympha, genis rubicunda, sed ore coralli est,
  Candidior cygno, splendidiorque rosâ.
Ardet lucidulis oculis, manibusque decoris:
  Pectus habet niueum, lactea colla gerit.
Molliculis lucet digitis, flauisque capillis,
  Ac toto floret corpore pulchra nimis.
I pede felici noue sponse, tuamque reuise
  Sponsam, sunt cordi tædia longa suo.
Moribus egregiis, virtutibus aucta serenis,
  Ortaque Magnorum sanguine Nympha Ducum.

Relligio, pietas, illi ſapientia regnat,
Mens fortis, miſeris grataque larga manus.
I pede felici noue ſponſe, tuamque reuiſe
Sponſam, ſunt cordi tædia longa ſuo.
Blandis illa iocos verbis immiſcet honeſtos,
Illa nimis parcit potibus, atque cibis.
Illa dolos neſcit ſimplex & recta virago:
Pura columba velut, quæ ſine felle manet.
Iuſtitiæ illa tenax, placidæ pacisque. Quid vltra
Inuisas igitur protrahis vsque moras?
I pede felici noue ſponse, tuamque reuise
Sponsam, ſunt cordi tædia longa ſuo.
O quoties repetit voces tua Nympha ſonoras:
Sponse redi, vultus iam cito redde tuos.
Reſtituas tandem cupido ſolatia cordi.
Quæ res tanta tenet? Quid rogo ſponse facis?
I pede felici noue ſponse, tuamque reuise
Sponsam, ſunt cordi tædia longa ſuo.
En lætus venio Sponsus, Sponsamque reuiso:
Aduentus felix, ſit tibi ſponſa meus.
Deſine iam labiis querulas effundere voces:
Deſine iam ſponſum ſponſa vocare tuum.
Iam pede felici ſubeo tua limina ſponsus,
Ergo ſint cordi tædia nulla tuo.

POEMA NVPTIALE.

EST animus tenui noua dicere gaudia versu,
Principis vt Magni soboles LVBOMIERSCIA natam
Duxerit, ac sponsam sociauerit ore venustam.
Ambo florentes, ambo sunt fulgida claræ
Lumina Sarmatiæ Sophoclæo digna cothurno.
Hæc ego dum vates super ardua sydera tollo,
Atque nouas celebro tædas felicibus ausis
Coniugii dator alme Deus, qui fædere certo
Iunxisti primâ nascentis origine mundi,
Humanæ stirpis mortalia corda iugali
Nexu, nec vinclum voluisti rumpier vnquam
Huc ades, ac nostri sis clemens carminis autor.
Tu quoque Christe faue, qui summi patris imago es,
Nec veritus quondam vultu recreare benigno,
Connubium vrbe tuæ GALILEæ nomine Chanà:
Quin illic etiam gratissima vincla tonanti
Coniugii ostendens, in dulcia munera vini
Commutans lymphas, miracula prima patrasti.
Æstas fæcundis lætas dum spicea messes
Torreret campis, rabidis & Syrius ardens
Siccaret flammis terram, Regnator Olympi,
Qui totum æternâ mundum ratione gubernat,
Luminibus placidis partes prospexit in imas
Quid facerent patulis mortalia corpora terris
Scire volens, quæ spes animos retineret anhelos.
Ecce LVBOMIERSKI, sacris altaria donis,
Et castis onerat votis supplexque precatur.
Summe Pater niuei super alta cacumina cæli,
Qui res humanas oculis vigilantibus omnes
Aspicis, atque regis manibus, fragilesque, per annos
Perpetuos sancto conseruas numine gentes.

In te sola meę stirpis spes, verte benignus
Lumina, queis hominum cordis penetralia cernis.
Ecce mihi superest genitori filius vnus
(Alter enim heu florens letho sublatus acerbo)
Hic nostrę si non longęvum gentis honorem
Suscitet, atque domum LVBOMIERSKI tollat in astra,
Corruet illa breui, ac retro sublapsa feretur.
Quot bona mî dederis, scio; sed pro viribus opto
Dum licet, ac propero dignas persoluere grates.
Gloria summa Deo tibi sit, qui munera, nunquam
Promerito, cumulas, noua iungens multa vetustis.
Vnum oro, inspira mentem, rege pectora nato,
Eligat vxorem proles iucunda pudicam,
Ex illa videat natos, serosque nepotes;
Inque nouos soles virtutum semine crescat
Atque domum faciat nostram super æthera notam,
Hos mihi dum reget effætos iam spiritus artus,
Semper honore meo, semper celebrabere donis.
Hoc puris genitrix repetit dulcissima votis
Noctes atque dies, summum placatque tonantem,
Audiit omnipotens in cælo verba parentis
Solliciti, ex templo voces miseratus egenas.
Virtutum intereà circumstant agmina sanctum
Læta Deum, aligerumque phalanx, quę pectore casto
Perpetuas cantat laudes, plectrisque canoris,
Pars pedibus plaudit choreas, pars sponte micantem
Procidit in faciem, pars vultum contegit alis,
Nec potis igniuomos oculos spectare tonantis.
Depictę rutilant vestes fulgore corusco,
Regia splendescit sedes stellantis Olympi,
Purpura nonnullas texit Melibęa sorores,
At niueus quasdam bissus, coccixque decorus:

 Ardent

Aed ent cęruleo quędam viridique colore,
Pro meritis color ille suis datur omnibus ęquus.
Hortis non aliter decorantur floribus herbę
AEstiuis virides, multos oculisque colores
Infundunt. Foliis albent argentea crebris
Lilia, flauescunt violę, rosa verna rubescit.
Hi seruare Dei sapientes lumine nutus
Assueti, spectant oculis radiantibus omnes.
Si quid ab ore iubet, celeres mandata per auras
Sponte ferunt, explent supremi iussa parentis.
Tum pater ignipotens oculos coniecit in agmen
Flammigerum lateri quod circumstabat vtrique
Quodque pedes premit à tergo, pręcedit & ipsum,
Atque prior blandas roseo dedit ore loquelas.
Huc Amor atque Fides animos aduertite vestros,
Et reliquę comites vnus quas continet ordo,
Ex templo fas est mea iussa capessere vobis
Adsumus ecce tuo Deus alto à corde profectę
(Inquit Amor) facimus, quę pręcipis ore sacrato
Absque morâ, nobis tua sit modò nota voluntas.
Ille sub hęc: Dulces nostro de pectore natę,
Sarmatico sedem Regno LVBOMIERSCIVS Heros
Diues opum, Patrię studiosus, pectore forti
Fixit, perpetuus virtutis cultor honestę
Vrbe CRACI, veteris, propior sub montibus altis
Agros possedit vastos, & pinguia rura,
Syluas, nimbosos montes, quos aurea circum
Pannonię spectat Regio, quos fossor auarus
Sub terris, ferro, sal quęrens, excauat imis,
Rusiadûmque solo gemmantia prata sagaci
Imperio, multis olim subiecta, coërcet.
Filius huic vnus STANISLAVS nomine viuit,

Annis iam florens, celebri cumulatus honore:
Namque præest vrbi claræ sub monte Crepaco,
Hæc LVBOMIERSciadûm superest spes vnica gentis,
Pro quâ vota mihi soluit lustralia mater,
Noctes atque dies tensis ad sydera palmis,
Et Pater antiquam cupiens expandere gentem.
Vt sterilem abyciam vitam procul, vtque pudicam
Me duce, fæcundamque sibi coniungere natus
Consortem possit, pulchros & gignere fœtus,
Ruperunt crebris fulgentia sydera votis,
Quod petiêre lubens mea dat clementia nato;
Quî fieri valeat, paucis (audite) docebo.
Magni casta Ducis claro de sanguine virgo
Russiadûm terris viuit interque sorores
Expectata, diu portat solatia matri
Moribus insignis, pectus, faciemque venusta
Hæc virgo SOPHIÆ præstanti nomine gaudet,
Principis Illustris pulcherrima filia ab OSTROG.
Seruat eam ditis sors IAROSLAVIA matris,
En longo proauos illustres ordine censet,
Egregium patris genus vsque ad sydera notum,
In bellis & pace potens, factisque per oras
Christiadûm claret, famæ quas peruolat alis.
Nec genitrix minus est clarâ de stirpe profecta,
Nam domus exciterat COSTCARVM florida semper,
Illa suam pulcris patriam virtutibus auxit,
Antiquamque domum cumulauit laude perenni.
Ite alis paribus, ventos superate minaces,
Vos ea corda duo vinclo sociate iugali,
Virgineum castis facibus succendite pectus.
Sponte velit fieri coniunx, neque spernere tædas,
Non alium cupiat sponsum, dum vita manebit:

Magna

Magnanimę placeat SOPHIæ LVBOMIERSCIA proles.
Nec iuuenis facilem remoretur ducere Nympham.
Ardeat, haud aliam velit igne perustus amoris,
Fax animum vincat, sponsam fax ducere cogat.
Paret amor dictis properat mandata per auras
Ferre leues, rutilà flammantia tela pharetrâ
Astringit, vultu flagrans, oculisque rubellis.
Olli se fidam comitem Concordia iungit,
Gnara feros animos duris compingere vinclis.
Cana Fides socias non segnes accipit vnà.
It comes huic fidens placido Reuerentia vultu
Rubra genas nitidas, labiasque, oculosque micantes.
Nuda soror propero gressu comitatur euntes.
Nuda soror prorsus scelaratę nescia fraudis.
Casta virago simul custos benefida pudoris,
Insuper has sequitur virtutum exercitus ingens,
In morem castis humeris dependet amictus
Virgineus, telis horrescunt vndique sacris.
Iamque secant liquidas alis pernicibus auras,
Ceu volucres leuibus dum pennis àéra purum
Scindunt ima soli repetentes sedibus altis.
Sìc amor ima, Fidesque petunt, comitante phalange,
In Boreę ventum est partes, vbi frigore denso
Sarmatię veteris tellus sua viscera cludit.
Iamque ferè pedibus steterant super àère celso,
Cùm procul apparent LVBOMIERSCIA tecta superba.
Tecta superba locis Regni fulgentia multis,
Verticibusque suis alto minitantia cęlo.
Apparet VOLA, post veteris quę mœnia Craci
Splendet, diuitibus nimium circumdata villis.
Et mons ARGENTI nivei de nomine dictus,
Quò se ROMVALDI sancti pius ordo receptat,

SPYT-

SPYTKOVICE procul fulget, fluuiumq; propinquum
Sarmatię clarę, quo non pręstantior alter
Zatoriamq; videt, colles syluasq; frequentes.
Inde tumet WISNIC Comitum aula vetusta priorum,
Inde POREMBA caput NAWOIOWAq; tollit in altum
Vngariæ fines prope. Quid ZORAVICA sonori
Cornua quę SANI gaudens surgentia spectat?
Te mea Musa volens nunquam BLAZOVA tacebit
Resouię vicina pię genialibus aruis.
Quid numerem syluas, aut prata virentia cultis
Russiadum terris, rapido quid flumina cursu?
Piscibus, atque feris, dulci & loca melle redundant.
Quid bona Sarmatię, quę Rex sua dona merenti
Detulit? Vngarię propior SANDECIA duplex
Quam placidis Heros magnus compescit habenis
Hinc DOBCZIGE iugis, hinc & LVBOWNIA supinis
Exurgit, crescunt vbi pascua lęta ferarum.
Quid referam pingues, quos SENDOMIRIA campos
Fructibus arboreis, tumidis ac læta racemis
Ostentat latè? spicâ quid diuite pagos?
Vndiq; stant arces, tectis ad sydera ductę
Vndiq; villarum ter fumant culmina centum,
Nox erat & fuscis terram contexerat alis,
Cùm pecudes, homines requiescunt, atque volucres.
Intereà placido LVBOMIERSKI natus in aulâ
Magnificâ somno torpentia membra leuabat.
Diuę cælestes subeunt ea tecta, nec altum
Dant pedibus strepitum, lecto Dominiq; propinquant.
Ille videns in corde stupet, nec membra relinquit
Somnus, stat capitis coma, vox & faucibus hęret.
Veriloquens autem roseo soror ore profatur,
O iuuenis Magni genitoris maxima proles.

Tu somnum carpis recubans securus in aulâ;
At nos huc missę pulcram tibi numine sancto
Deferimus sponsam, certa hęc diuina voluntas,
Sit tua sponsa DVCIS generosi filia ab OSTROG
Sponsa SOPHIA, Deo sic visum; pręsidet ille
Connubiis castis socialia fędera iungens.
Aspicè quàm multę veniamus ab arce sorores
Sydereâ, diuina tibi mandata ferentes.
Ocyus hinc propera, te IAROSLAVIA sponsum
Expectat, nec vana putes. Ego filia summi
Vera Dei, (credas) ego nescia fallere quenquam.
Tunc Amor igniuomus depromens tella pharetrâ
Flammea, configit taciti penetralia cordis,
Accendit iuuenique faces in pectore castas
Sic dicens: Cunctos hęc sit tua sponsa per annos:
Hanc solum cupias, hanc solam ducere debes:
Illa domum vestram natis ad sydera tollet
Belligeris, clarum seruans per secula nomen,
Vtq; animo sit nota tuo, cape Virginis ora t
Tunc menti impressit pręsentis vt illa putaret.
Corripit è somno corpus LVBOMIERSCIVS Heros
Ardet, vimq; Dei haud dubiam sub pectore sentit,
Pręsentem Nympham cupit esse, suamque fatetur
Seu nox, siue dies per cęlum currit apertum
In somnis visa, ante suos versatur ocellos,
Vna placet solum, de virgine cogitat vnâ
Postquam incenderunt iuueniles corporis artus:
Indè volant pennis, vbi celsa palatia surgunt
Arcis turrigerę, quę IAROSLAVIA fertur,
Mercibus illa frequens ac totum clara per orbem.
Ex alto cernunt, quà se TARNOVIA diues
Porrigit, atq; vetus PREVORSCIA, quàue KRAKOWIEC
Et

Et KANCZYGA boum, niuei lactisq; feraces,
Inde COSINA tumet Germano splendida cultu
Grodecięq; nitor syluis, agrisque reuinctus:
Hic vir IACOBVS SLIWSKI sacra templa tuetur
Nobilis, Italicâ clarus Gracique Mineruâ:
Varsaniç flos MARTINVS CONVASIVS illic
Cultor Academię sanctum defendit honorem
Arę, Palladiâ redimitus tempora lauru.
BASILEÆ apparent turres, DVBNÆq;, Scytharum
Quę diras acies, cuneos ac frangere densos
Inuictas possunt belloque retundere vires.
Inter tot vastas vrbes, arcesque sub arcton
OSTROG, stirpis honor quo se cognomine iactat,
Cedit, & hostiles turmas à finibus arcet.
Quis numeret pagos, syluas montesque supinos
Vrbes, quis celsas arces fluuiosque sonantes?
Podolię campis horrent sex culmina centum
Villarum, OSTROGIÆ quę gens illustris honore
Russiadumq; solo, & magno regit orbe Polono.
Alta polo medios iam cursus luna tenebat
Cum virgo haud metuens, fatique ignara futuri
Noctiuago somno lassos immerserat artus.
Ecce autem veniunt Diuę, iaculoque repertam
Figit Amor, vincitque Fides, Concordia mentem
Tuta ligat, frontem Reuerentia stringit honestam,
Casta soror vanę mentis simulacra repellit.
Talia cum faciunt, soror isthęc vera profatur.
Nympha Ducum vernans flos, filia chara tonanti
Castos pone metus, sponsum tibi Rector Olympi
Elegit, ne temne virum, quem numina poscunt;
Numine per mundum diuino cuncta geruntur,
Sponsus erit virgo tuus hic LVBOMIERSCIVS Heros

 Dulcis,

Dulcis, formosus, claris Maioribus ortus,
Diues, militiâ notus, virtutis amator.
Nosce viri faciem, sic dicens, fingere vultum
Absentem haud dubitat, mentiq; offerre puellę.
Mox cæli occultant cæcâ se nocte sorores.
Hinc Nymphę matrem stimulant, ea iussa tonantis
Vnanimes referunt, certissima dicta loquentes,
Illa Deo cedit, monitis paretq; supernis,
Scilicet hoc docuit pietas, quę stirpis honorem
COSTCARVM decorat. Quis tandem nesciat illam?
Anne piis Patribus IESV qui nomine gaudent
Illa benigna domus fuit? immo signa reliquit
Officii, sedem tecti per secla futuri
Pallas vbi regnat pietati iuncta verendę,
Pro tali studio sed præmia iusta reportat.
Namq; STANISLAVS sese dum COSTCA fidelem
Adiungit socium Patribus, cælestia carpit
Munera, post mortemque facit miracla beatus,
Sic fragilis vitę altitonans benefacta rependit.
At virgo placidum pellens à lumine somnum,
Turgidulos oculos voluens per singula versat
Nil videt, igniuomo sed amore peruritur intus,
Cernere vult iuuenem somno quem viderat vdo
Nec potis est, ardent tantum vacua atria circum
Argento, atque auro & pictis instrata tapetis
Phæbus equos agitans radiis lustrauerat orbem,
Auratis rutilum, pulsâ caligine nigrâ:
Diuersis spaciis habitantia corda locorum
Florescens iuuenis virgoque pudica SOPHIA
Vnum optant tacitis animis, secumque volutant,
Alter & alterius conspectum gestit adire.
Nec iam res tacitè premitur præcordia subtus:

Omnia

Omnia nam iuuenis matrique patrique retexit,
Non aliam in vitâ vxorem se velle professus:
Ocyùs indè iubet currus aptare micantes,
Dædala quos finxit manus argentoque polito
Inducens varias formas decorauit & auro:
Tum picturatas vestes, pellesq; ferinas,
Grandiaq; argenti gemmati pondera & auri,
Quadrupedes acres ter centum murice tectos.
Idem ardor Nymphę mentem conturbat & angit,
Nunc metuens matrem, premit altum corde dolorem.
Nunc suffusa genas, vult dicere cuncta parenti,
Vincit amor flammis: Quid enim non vincere posit?
Alloquitur matrem flagrans his vocibus vltro:
Delicię genitrix nostrę, mihi dulcior ipsâ
Vitâ; Non equidem timeo secreta fateri
Ore tibi, natę lucem quę sola dedisti
Post Patrem atque Deum, teneris membrisq; vigorem,
Tempore iam longo torrentibus æstuo flammis
Nec mentis durum possum lenire laborem,
Arte licèt variâ restinguam pectoris æstum.
Quę sit origo mali, breuiter sic accipe mater.
Nocte vnâ, dulcem languentia membra soporem
Dum caperent, visę mihi Diuę astare sorores,
Castus Amor flammis ardens, Concordia mitis.
Cana Fides, placidoq; simul Reuerentia vultu,
Vera sororque loquens, & pectore casta virago
Quę se dicebant alti de culmine cęli
Missas, me certo coniungere fędere sponso.
Castus Amor facibus petiit mea corda, Fidesque
Blandisonis pectus vinclis astringere visa est,
Impressere oculis LVBOMIERSCIA pectora nostris.
Et illo semper iuuenis mea corda fatigat:

Nescio quid faciam. Tu me dulcissima Mater
Sola doce atque ignes subtùs compesce furentes.
Tum prudens animi genitrix sic orsa vicissim.
O mea lux vitę, somno nè crede fugaci
Sępius eludunt mortalia pectora somni,
Offer vota Deo; durum de corde laborem
Is pellet, mentemque ligantia vincla resoluet.
His dictis versat tacitas in pectore curas
In partes animum, nunc huc, nunc diuidit illuc,
Et repetit secum, quę viderit ipsa silenti
Nocte, Deum votis onerat, velit omine fausto
Connubio stabili, dulcem coniungere natam,
Aut certè tristes animo depellere curas.
Inclyta Dux tales effundit pectore voces.
Ecce autem currus centum LVBOMIERSCIVS Heros,
Quadriiugos agitat, ter centum cętera pubes
Fertur equis, circum fulgentes ære catervę
Vestibus, argento, gemmis, auroque superbo.
Sic genitor natusque suus florentibus annis
Et mater veniunt vnà SOPHIAMq; Ducissam
Orant connubii socialis fędere iungi.
Dona ferunt pretiosa manu: Nymphamq; tenellam
His augent, matremque suam, geminasque sorores
Et fratres animo generoso. vasa refulgent
Aurea, gemmati torques, vestes, velamina nota
Armillę rutilę, baccata monilia collo,
Annulus inde frequens, gemmis splendescit Eois,
Pectoris, & capitis rosei ornamenta nitorem
Fundunt. Non aliter radios dum Phębus acutos
Horrificas tenebras depellens, mittit in orbem.
Mirantur dona Herois, mirantur & ipsum
Heròem, cuncti mirantur & ora loquentis.

Virgineos

Virgineos etiam vultus LVBOMIERSCIA proles
Suspicit, agnoscit, quę viderit ora per atram
Noctem, rubra genas virguncula, flaua capillos
Germanas inter geminas, iubar ore coruscum
Mittit, ceù Phębe dum cornua lumine complet.
Virgo viri faciem quoque noscit & vritur igni:
Optant egregiam dextrę coniungere dextram.
Tum forti genitrix respondet corde Ducissa:
Quod petitis nostrę socialia vincula natę
Sic visum superis, neque nos oracula fallunt
Annuo, sit fęlix ambobus nomen & omen
Coniugii, seros natis decoretque nepotes.
Principis ex OSTROG Coniunx CATHARINA IANVSSI
Extitit insignis, vestrâ de gente profecta,
Rursus & ex OSTROG Ducis inclyta filia vestram
In stirpem veniet, sic stirpes vinciet ambas
Vnus amor. Stabilis mundum concordia firmat.
Coniungunt dextras optatas, poplite flexo
Deinde sibi faciunt, quem quisque meretur honorem,
Dulciloquo tutamque precantur ab ore salutem;
Constituunt castis certissima tempora tędis,
Instaurant epulas phialis & vina coronant
Post choreas ducunt, iuuenes castæq; puellę.
Tertia lux postquam redit aurea, lampade terras
Cum Phæbus tremulâ lucens propellit opaca,
In proprias subito quiuis dilabitur oras.
Atque ea Russorum penitus dum parte geruntur,
Virtutes alacres sua binis munera sponsis.
Ad finem summi ductorę iussa parentis
Sponte ferunt manibus, duo serta stolasque niuales
Annulus his duplex gemmâ spectatus Eoâ
Iungitur, eximii notissima symbola vincli.

Iam

Iamque dies aderat tędis socialibus alma,
Conueniunt Proceres de partibus vndique Regni.
Primus VOINICIVS SRENIAVÆ Stemmate clarus
Consilii prudens, & seruantissimus æqui.
Firma columna suę patrię fortisque Senator
Relligionis amans, altaria multa dicauit
Sacra Deo, donisque sequens cumulauit in æuum,
DOMINICI Sancti toto gens inclyta mundo
Testis erit structum sumptu magnoque sacellum,
Quod pia post fatum seruabit corpora stirpis.
Romualdiq; ordo, quem villâ & pinguibus aruis
Montibus ac syluis varios donauit in vsus.
Prętmia sic meruit viuens ingentia cæli
Sacrauitque suum terris per secula nomen.
Hunc sequitur natus magnâ comitante caterua
Moribus ac rutilâ similis virtute parenti.
Intextis auro tunicis & pellibus omnes
Horrescunt famuli, densis micat ignibus æther.
It clamor cęlo resonat tuba ductilis vrbe,
Aëriosq; ferit tractus cęlumque profundum.
Parte aliâ ingreditur Pręsul SIECINIVS arcem
Pręsul, quo fidei custos Pręmislia gaudet.
Hinc DVX Illustris tot millibus ibat ab Ostrog
Cinctus, sidonio totus spectabilis ostro
Quem sonipes portans muros hinnitibus implet,
Et pulsat pedibus terram irrequietus aduncis.
Huic vnus CONSTANTINVS, IANVSSIVS alter,
Se Comites sociant duo lumina gentis ab OSTROG,
Qui charum iuuenes patruum venerantur & ornant,
Ambo florentes ætatibus ambo Rutheni
Germani sponsę, Nympham decorare volentes.
Quis te pręterat THOMA de gente ZAMOISKI

Aduen-

Aduentumq; tuum? Iuuenis quam ſplendidus intras
Mænia? quàm pulcrâ redimitus rite coronâ
Aulai? Felix tecto ſuccede fauenti
Ipſe fauens, Deus ex alto fortunet euntem.
Tellus dum durat, dum Viſtula voluitur vndis,
Te mea Muſa canet, te ſub vaga ſydera cygni
Cantantes ſublime ferent, Patremq; potentem:
Palladis ille decus vixit Martisque ferocis,
Ille dedit ſedes Muſis, nomenq; reliquit
Fortibus æternum caſtris, Ducibusq; Polonis.
Hoſtes Sarmatię ſtrauit mage robore mentis
Quàm telis; illum Turci timuêre Scythæq;,
Moschorumq; manus, quę noſtrę perfida genti eſt.
Tu non inferior Patre, ſi modo ducere longam
Fata ſinent vitam, iuueni, mea Musa, quod optat:
Tot variis linguis teneris es clarus ab annis
Palladiisq; ſimul donis; licet extera tellus
Te nullo imbuerit (dulcis niſi patria) ſucco.
Viue diu, Patremq; dies imitare per omnes.
Enſifer hos iuxta Regni, BRANICIVS Heros
Nobilis & proauis, propriâ & virtute, per vrbem
Inuehitur curru, cui nil natura negauit,
Corporis hîc animique vigent ſua munera celſi.
Fertur equo natus, comitans veſtigia Patris
Palladio cultu teneris formatus in annis.
O ſi traxiſſes modo CASTELLANE Becenſis
Vitam! Quis ſicco pede te poſt fata relinquat?
Quantus eras patrię, iucundis quantus amicis?
Te virides ſyluę fleuêre hominesque, feræq;
Patrem, teque lacus liquidi, campique iacentes
Semper BRANICIOS bene terra POLONIA dignos
Suspexit natos, ſimilesque per omnia matri,

Fortis

Fortis OLESNICKI viduatus coniuge charâ
Quę cecidit non maturis LVBOMIERSCIAS annis,
Radomię splendor cumulo se iungit, & altum,
Tot famulos inter, caput erigit, ore sereno.
Quid ZEBRIDOVIAE decus & spes vnica gentis
Florescens annis iuuenis virtutibus auctus
Ingenio viuax verissima Patris imago
Qui toties patriam defendit ab hoste feroci?
Inter tot proceres non inferiora secutus
Ibat cognato LVBOMIERSKI sanguine iunctus
STADNICIVS premit à tergo, cui plurimus ordo
Militię stipat latus, vrbis in orbe Rutheno
Præmislię custos, audax in pręlia miles.
Ibat & antiquâ factis de gente VAPOWSKI
Egregius, Mauorte potens, & viribus acer,
Insequiturq; virûm cumulus, quos florida tellus
Sarmatię numerat, Russorum gensq; vetusta
Istula quos torrens rigat, & quos feruidus Ister
Quique bibunt SANVM, DNESTRI, NIEPRIq; fluenta
Quique colunt vastos campos, syluasque virentes
Podolię, indomitosque Scythas à finibus armis
Detrudunt, mactantq; feros, rapiuntque reuinctos:
Diuitis Vngarię aut habitant sub montibus altis
Insurgit clamorq; virûm clangorque tubarum.
Tunc etiam nimbus subit ardua mænia matrum
Virgineique chori. Prior est LVBOMIERSCIA mater
Branicię magnę stirpis decus, atque perennis
Gloria, quę nunquam gelidum volitare per orbem
Desinet. An quisquam tua facta recenseat ore
Virtutesq; ? Diem prius alto Phœbus Olympo
Claudet, equosque vago pelago demerget anhelos,
O quantum satagit priscos æquare parentes

Moribus

Moribus & factis, cęlum queis terminat altum
Fæmina clara vige decus immortale per æuum:
Hęc secum natam gemmis auroque rigentem,
Branicium & florem, matronas stemmate claras
Sed magis excelsâ morum grauitate venustas,
Ducit, fęmineasq; manus, quibus ordine longo
Omnibus ex æquo pictę sunt vndique vestes.
Altera magnanimi Ducis OSTROG splendida coniunx
Quam circum fulgens agmen comitatur euntem.
Tertia STADNICII, factis clarissima consors
Cui bene promeritum defert PREMISLIA honorem.
Iaroslauia quas oculis Herodas illo
Tempore conspexit? Quis possit carmine totum
Dicere? stant currus picti rhędęque superbę.
Conueniunt omnes, muros arcisque reuisunt,
Atria plena sonant, ferit aurea sydera clamor.
Conticuere viri tandem, cum Pręsul adire
Limina sancta iubet, sponsum Nvmphamq; tenellam.
Vt sacris iungant socialia fędera templis.
Heroes alii pręeunt, aliique sequuntur.
Interea Pręsul capitis redimitus honore
Cum properat sponsum sacris benedicere verbis:
Ecce nouus chorus ingreditur sacra templa tonanti
Virtutum chorus excelso demissus Olympo.
Obstupuêre animi, tantum quibus agmen ab oris?
Agnoscit visas per noctem Nympha sorores;
Atque suus sponsus noscens, ita voce precatur:
Este Duces diuę vitę, castique cubilis.
Dius amor textam diuerso flore corollam
Distinctam gemmis fert: fulgida serta sed herbis
Floridulis soror illius castissima virgo:
Ille dedit sponsę, sponso hęc dat, rursus vtrinq;

 Mutant

Mutant & variâ ponunt in fronte corollas.
Alternisq; canunt : castum seruate pudorem,
Vt casti flores cultis nascuntur in hortis:
Et vobis eadem sit mens sine fine, per omnem
Vitam, mors donec tristissima stamina rumpat.
Vera soror placido & suauis Reuerentia vultu
Accedunt propius, sua sponsis dona daturę,
Annulus his duplex ex auro adamante corusco est:
Intexunt digitis sponso sponsæq; decoris,
Et variant aurum digitis sua dona vicissim.
Tum sic ore canunt. *Purum aurum, gemmaq; pura*
Annulus atque teres purissima corda requirunt.
Sit vobis animus teres auro purior ipso,
Constantes animos totos seruate per annos.
Cana Fides mitisque soror Concordia portant
Vincla, stolas niueas cælesti vertice textas
Coniungunt dextram sponsi sponsęque sinistram
Atque stolis religant, ne posint rumpier vnquam;
Sic fatę. Firmi, quos talia fædera stringunt
Ad mortem maneant ; mors tantum hęc vincla resoluit.
Quę vos cunq; premet cunctos fortuna per annos,
Ferte in amore simul; capiant neque tędia mentem,
Tabifici morbi nequeunt vel turpis egestas,
Cælica vel tristis dissoluere fędera casus,
Ergo fidem vobis ambo, & seruetis amorem
Hęc Diuę memorant. Chorus incipit integer ore.
Viuite felices duo fulgida lumina Regni,
Formosam prolem & seros generate nepotes,
Crescite felices factis super æthera noti,
Crescat perpetuis annis LVBOMIERSCIVS Heros.
Qui fidus iuuit (producens fortia corda,
Fortia corda virûm ad bellum, floremque iuuentę)

Tempori-

Temporibus duris patriam, Regemque Polonum.
Ibant in Moschos sexcenti pectore forti,
Quos secum duplex proles Lubomierscia duxit
Magna viros, omnes cinctos fulgentibus armis,
Haud parcens auro, vitę, summisque periclis.
Occidit hic vnus solatia maxima Patris,
Frater & ad celsum subitò migrauit Olympum.
Quid memorem quales acies, quantasque phalanges
Duxerit, arderet cum patria tota furore?
Vel cùm Rex nuptam Regali induceret vrbi?
Crescat perpetuis annis domus inclyta ab Ostrog.
Tempore quę prisco Lechus cùm regna teneret,
Sauromatum stirpis Generosę exordia cæpit.
Quis proauum IVANVM CONSTANTINVMq; parentem,
Et natos ternos dignis ad sidera tollat
Laudibus? OSTROGIÆ sedes DVBNÆq; vetustę,
BASILEÆq; vagum splendentia vestra per orbem
Testantur facta. Anne SCYTHIS qui sanguine viuunt
Quadrupedantis equi poto, stirps vestra pepercit?
O quantas strages IANVSSIVS edidit HEROS,
Hostibus eripiens iam captam impune sororem!
Scilicet hos animos ostendit viuida virtus
Cęsaris inuicti magnâ cùm vixit in aulâ.
Quas & ALEXANDER duce quo Volhinia quondam
Gestiit? ille Palatinus prudensque Senator
Viribus Herculeis miles robustus & armis.
Ingemuit MOSCHVS, vestrisq; exhorruit armis
Nunc quoque spes Patrio surgit pulcherrima Regno.
Cum CONSTANTINO crescit IANVSSIVS HERŌS,
Crescit & immensis cælos virtutibus æquat.
Viuat perpetuis annis domus inclyta ab OSTROG.
Viuat perpetuis annis LVBOMIERSCIA Proles.

Hęc cecinit chorus, ætherrasq; recessit in arces.
At Pręsul sponsum & Nympham benedixit ab ore.
Quę Deus altitonans voluit connectere, nullus
Ausit mortalis disrumpere vincula pacis
Id pater & natus det vobis pneumaq; sacrum
Coniugibus, quod vos ambos sociauit in vnum,
Applaudunt cuncti voces geminantque sonoras,
Audebit nullus disrumpere vincula sancta.
Viuat perpetuis annis domus inclyta ab OSTROG.
Viuat perpetuis annis LVBOMIERSCIA Proles.
Sedibus è sacris iam celsas itur in arces
Heròés pręeunt sponso, quem pulchra propago
SARMATIÆ sequitur teretem glomerata per orbem.
Ordine matronę nitidissima lumina Regni
Heroum natę Nympham comitantur amęnam.
Non secus it campis agmen cum farra per agros
Formicę ore legunt repetuntque cubilia sueta.
Vel si castra sequuntur apes dum vere tepenti
Plena ferunt succis redolentibus ora Ruthenę.
Arx iacet in pratis variis suffulta columnis
Porticibus multis cęlum sublimis ad altum,
Aulæis, tabulis, Tyriis ornata tapetis,
Vndique lucidulis centum distincta fenestris,
Alta ducum sedes nunc, quondam KOSTKA tenebat
Moribus hanc priscis Maiorum stemmate clarus,
Et circum plures pagos ditione premebat.
Huc pedibus veniunt, vbi mensis copia grandis
Argenti, purique auri, quę vasa parentum
Fortia facta gerunt primęui ab origine mundi
Dant vndam famuli manibus, mantilia prębent
Arte laborato lino, auratoque trilici.
Atque vbi perpetuis cęptum est accumbere mensis,

Ore

Ore tacent omnes; tuba pulsat ductilis auras.
Continuò portant epulas, tum pocula ponunt,
Inuitant genios, heroica corpora curant.
Postquam epulis satiata cohors, LVBOMIERSCIVS annis
Iam grauior, pateram gemmis auroque grauatam
Accipit, impletam vino, cunctisque precatus
Hospitibus, Matri, nuptę, sponsoque salutem,
Exsiccat, pleno ac totum se proluit auro:
Hoc alii faciunt lęti circum ordine multo
Russiadę famâ celebres, mistique Poloni.
Vnanimes clamant, retinet quos mensa frequentes,
Viuat perpetuis annis domus inclyta ab OSTROG:
Viuat perpetuis annis LVBOMIERSCIA proles.
Munera dein manibus statuunt ingentia centum,
Quę Nymphę donant, aurum, gemmasque micantes,
Vasa superba satis, phialas, torquesque decoros,
Aureus his donis adiungitur annulus amplis,
Quem circum pendent plures radiosque refundunt,
Insuper albenti diuersa monilia collo.
Hęc animo grato capiat, crescatque perennis
Optant, acclamant, retinet quos aula frequentes,
Viuat perpetuis annis domus inclyta ab OSTROG,
Viuat perpetuis annis LVBOMIERSCIA proles.
Iam remouent mensas, surgit de more iuuentus,
Surgunt & Nymphę, soboles nitidissima matrum
SARMATIÆ, pictis ex auro vestibus omnes
Incinctę, auratis peplis capita alta ferentes
Virgineos comptę vultus, oculosque serenos.
Exercet primus festas LVBOMIERSCIVS Heros
Cum Nymphâ choreas. Fidibus crinitus Iopas
Personat auratis, alii chelibus que, tubisque,
Ore canunt alii, resonat concentibus aër

Multi-

Multisonis, hominum pectus mulcetur & aures.
Post reliqui proceres, iuuenes, castęq; puellę
Alternis variantque pedes, plauduntq́; choreas.
Orbis iam medium moderatrix noctis habebat
Cynthia, collustrans nocturnâ lampade terras
Cum somnus lassos oculos requiescere suadet.
Nympha suo tandem datur exoptata marito
Applaudunt omnes, voces geminantque canoras
Viuat perpetuis annis domus inclyta ab OSTROG
Viuat perpetuis annis LVBOMIERSCIVS Heros,
Discedunt proceres sponsis dicuntque salutem.
Cunctorum placidus torpentia corpora sternit
Somnus : sic hominem fragilem ingeniosa voluptas
Vincit, luxurię fręnis victumque fatigat
Sic satias mentem & fastidia lenta sequuntur.
Arcis clauduntur portę atque palatia ferro,
Continuò in celsis sunt facta silentia portis.